

CASUS XXIII. Pachomius Superior regularis tulit Censuras in quempiam Religiosorum suorum apostatam. An hic tenetur se submittere Censuræ?

1. Tenetur. Discrimen inter jurisdictionem Episcoporum & Superiorum regularium versatur in eo, quod illa directe ac immediate respiciat eorum territorium, hæc autem directe ac immediate afficiat personas Religiosorum. C. A.

CASUS XXIV. Potestne Episcopus ferre Censuras in Regulares a jurisdictione sua exemptos?

1. Quoad ea, quæ concernunt disciplinam regularem, non potest. Verum quoad ea omnia, quæ pertinent ad forum ac jurisdictionem Episcopalem, potest uti Censuris contra Regulares exemptos: v. g. si ad populum conciones habere audeant non permittente aut invito Episcopo; si absque approbatione Laicorum aut Clericorum sæcularium confessiones excipere, aut a casibus Episcopo reservatis non obtentis prius facultate absolvere præsumant; si nolint assistere processionibus publicis ab Episcopo institutis; si delinquentes extra sua claustra inventi fuerint; si Beneficia possident jurisdictioni Episcopali subjecta. In hisce ac similibus casibus potest Episcopus Censuris animadvertere in Religiosos exemptos ac privilegiatos. C. A.

CASUS XXV. Episcopus extra suam Dioecesim in exilium pulsus, ex loco exilii pronunciat Censuras contra suos proprios Dioecesanos. Tenenturne hi se subicere?

1. Episcopus non in sua, sed in alia degens Dioecesi non potest Censuras ferre in proprios suos Dioecesanos absque permissione Episcopi loci; quia propria autoritate non potest illi exercere jurisdictionem contentiosam; idque si tentaret, mitteret falcem in messem alienam. Pulsus autem ex sua Dioecesi a propriis Dioecesanis potest se detinere in loco vicino, ibique exercere jurisdictionem contentiosam in suos Dioecesanos, dummodo ad id facultatem petierit ab Episcopo loci, etsi eam non obtinuerit. C. A.

Vide *Excommunicatio. Interdictum. Suspendio. Irregularitas.*

CENSUS ex MUTUO.

1. Censuræ proprie loquendo est æstimatio lucri, quod quis percipere potuisset legitime ex pecunia aliis mutuo data, si ista pecunia in tempore restituta fuisset. Quamvis pecunia sit res ex sua natura sterilis, & fœnus non possit recipi præcise ratione mutui; utilis tamen ejusdem collocatio in com-

mer-

mercium, in emptionem fundorum fructificantium, aut in constitutionem proventuum annuorum emolumenta profert legitima; & hinc illi, qui privatur hisce emolumentis, indemnitas est pro æquanda ex censu proportionato.

2. Carentia horum emolumentorum potest provenire vel ex lucro cessante, vel ex damno emergente. *Lucrum cessans est carentia acquisitionis pecuniæ, reive pecunia æstimabilis alias indebita. Damnum emergens autem est rei propriæ, vel possessæ, vel stricto jure debita detrimentum.* Hinc proprie loquendo Censuræ nihil aliud est, quam lucrum cessans, damnumve emergens.

3. Potest inferri damnum absque culpa inferentis, quod dicitur *damnum sine injuria facientis datum*; ut si inferatur a pecude, & in lege duodecim Tabularum *Pauperies* vocatur.

4. In Gallia ex omnibus supremis Senatibus unicus Parisiensis Juri Canonico accedit, quod ex pecunia mutuo data censuram exigere prohibet; quamvis & in hoc dentur quædam exceptiones v. g. in favorem pecuniarum pupillarum.

5. Juxta Jus Romanum Censuræ nunquam potest excedere duplum. Item præstatio Censuræ a debitore fieri debet ante solutionem summæ capitalis. Eadem leges concedunt creditori anteriori prælationem hypothecariam quoad sortem & Censuram.

6. Distincta hæc, quæ maxime concernunt jurisprudentiam civilem, nequaquam regulæ instar venduntur ad dirigendas conscientias, nisi in quantum in sequentibus decisionibus explicabitur.

CASUS I. Taurinus & Barnabas super pluribus in itæ societatis articulis controvertentes mediatore communi utriusque amico transactionem faciunt, vi cujus Taurinus cedit partem suarum prætensionum ea conditione, ut Barnabas sibi solvat 1000. imperiales ad summum spatium octo mensium, & insuper 1000. imperiales intra annum, præterea Barnabas solvat etiam Censuram usque ad solutionem integræ summæ. An Taurinus hunc Censuram tuta conscientia, ac sine usura recipere potest?

1. Certum est, Taurinum hunc Censuram recipere posse absque usura, nam stipulatio Censuræ in hoc casu constituit partem pretii, eratque conditio transactionis, sive ad compensandum id, quod aliunde Barnabæ debebatur, sive ex alia causa legitima. *Lege Non minorem. 20. cod. de transf. lib. 2. tit. 4. Pontas.*

CA-

CASUS II. Aristides vendidit Lampridio quamdam domum pro summa 10000. librarum intra sex annos, & non prius, persolvenda, simulque paciscitur de Censu legibus permisso: Lampridius illico dictam domum possedit. An Aristides id facere potuit absque usura, maxime si Lampridius ex locatione domus tantum recipiat Censum 400. librarum, aut omnino eam locare non possit?

ꝛ. Hæc stipulatio non est usuraria: nam domus erat fundus fructificans Aristidi; his vero fructibus dum se privata venditione domus, jure potest recipere compensationem damni proportionatam. *Gloss. in c. Conquestus 8. de Usuris.* Responsio hæc est conformis cuidam Decretali Alexandri III. jurisprudentiæ supremorum regni diasteriorum, ac menti plurium Theologorum. Frustra allegatur, quod Lampridius ex locatione domus tantum aquirat 400. libras: sicut enim lucraretur, si augmentum pretii locationis longe excederet quantitatem Censum solvendi, sic ut dominus rei damnum quoque ferre tenetur. *Pontas.*

CASUS III. Guilielmus exstructurus domum a Josepho 5000. florenos mutuos accipit. Vi contractus Josepho intra sex menses a Guilielmo tradenda erat expensæ pecuniæ apocha, ipsaque pecunia deponenda in manibus Notarii, a quo non nisi in expensas structuræ ac mercedem operariorum expendi debebat; imo ab ipsis operariis exigebatur receptorum apocha cum declaratione, solutionem sibi factam ex pecuniis a Josepho mutuo datis. Elapsis sex mensibus Guilielmus in ædificium jam ad colophonem deductum tantum expenderat 4000. florenos; hinc residuos ac in manu Notarii hucusque hærentes 1000. florenos reddit Josepho una cum 100. florenis, Censu nimirum 4000. florenorum ad sex menses. Josephus autem insuper exigit 25. florenos in Censum 1000. florenorum, quibus Guilielmus usus non est. Fierine id potuit absque usura?

ꝛ. Juxta S. Beuve Josephus non committit usuram exigendo præfatos 25. florenos; quia revera alienavit totam 5000. florenorum summam in commodum Guilielmi, nec ipse in causa est, quod mutuarius usus non fuerit integra summa. Denique stipulati in contractu conditiones non repugnant naturæ alienationis, & solum tendunt in assecurationem Josephi, quod justitiæ non adversatur. *Pontas.*

CASUS IV. Gilbertus empturus ab Antonio officium Thesaurarii mutuos accepit 4000. florenos a Joanne facta stipulatione expressa, hoc officium tamdiu creditori per modum

dum hypothecæ obligatum iri, donec integrum debitum expunctum fuerit. Paulo post Gilbertus mutata mente emptum officium vendit Ludovico ea conditione, ut unam pretii partem Antonio primo venditori, & alteram solvat Joanni creditori præfatorum 4000. florenorum. Verum Joannes & Antonius contra hanc substitutionem novi debitoris Ludovici exceperunt, & debitum suum liquidari, ac in pretio officii Ludovicum inter & Gilbertum convento constitui judicialiter postularunt, & id effecerunt, ut Antonio adjudicati fuerint 2500., & Joanni 1500. floreni, quoad reliquam debiti partem remisso ad alia bona Gilberti, quos hic ocys numerat. Ludovicus autem, contra quem exceptio fuit opposita, dato chirographo spondet, intra sex menses se soluturum Joanni 1500. florenos adjudicatos una cum Censu. Potestne hic Censum acceptari a Joanne absque usura?

ꝛ. Potest acceptari sine usura: favor enim a Joanne Gilberto exhibitus non debet vergere in gratificantis præjudicium; & certe Summa a Joanne mutuo data constituit partem emolumentorum ex empto officio provenientium, quibus ut emptor fruatur nondum soluto pretio, æquum non est. *Gloss. in c. Conquestus. de Usuris.* Ejusmodi Censum, addit Covarruvias *var. resol. l. 3. c. 4. n. 1.* non sunt considerandi ut *usura lucrativæ. Pontas.*

CASUS V. Hermanus, & Justinus, fratres, hæreditate paterna obtinuerunt duas domos, quarum una æstimabatur 25000. libr. altera vero 15000. In divisione hæreditatis Hermanus retenuit domum priorem, & simul se obligavit, se Justino æquationis causa soluturum 5000. libras. Jam quæritur, an Justinus possit absque usura exigere Censum de 5000. libris, usque dum solvantur.

ꝛ. Potest Censum exigere absque usura; agitur enim de fundo fructificante, qui inter duos hæredes æqualiter dividendus est. *Gloss. in Cap. Conquestus 8. de usuris.*

CASUS VI. Bertulfus tradidit filiam suam Theodoro in uxorem assignando 10000. libras in dotem; cum vero hanc summam primum post Triennium solveret, Theodorus Censum legibus conformem pro isto Triennio exigit.

ꝛ. Potuit exigere Censum; cum Bertulfus nullum filiarum contulerit fundum fructificantem. *Sane generum, inquit Innoc. III. in c. Salubriter 16. de Usuris l. 5. t. 19. ad fructus possessionum, quæ sibi a Socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in sortem, non credimus compellendum; cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera*

onera matrimonii supportanda. Multo magis Censum peti potest deficiente oppignoratione fundi frugiferi. *Pontas.*

NOTA. Supponitur ex Jure; dotem filiae debere constitui in re frugifera immobili, vel in re mobili censuali, ut ex fructibus vel censu ali possit uxor.

CASUS VII. Scipio pergens ad curiam Parisiensem, ut ibi pro 2000. libris procuraret Censum, ab amico rogatur, ut suas quoque 1000. libras dictis 2000. libris addat hac conditione, ut recipiat ex eis Censum legibus conformem. Consentit Scipio, & dum ex 3000. libris annum Censum recipit, nimirum 150. libras, 50. illarum tradit per singulos annos suo amico. An hic sine usura illas recipere potest?

R. Si Scipionem inter & amicum erecto instrumento convenit de alienatione 1000. librarum a Scipionis amico facta, tunc iste absque usura Censum 50. librarum recipere potest. Si vero scriptum tantum loquatur de simplici mutuo ad certum tempus vel ad arbitrium revocabili, non potest exigi Censum, nisi fors titulo lucri cessantis aut damni emergentis. *Urb. III. in c. Consuluit. 10. de Usuris.* Si scriptum profus non intervenit, potest adhuc recipi Censum, dummodo creditor sinceram habeat intentionem 1000. libras alienandi, quin eas a Scipione denuo repetere possit; secus foret mutuum usurarium. *Sola spes,* ait S. Aug. in psal. 36. *usurarii usuram inducere videtur.* *Pontas.*

NOTA. Ex hoc casu & aliis colligitur, in Gallia solam alienationem Summæ Capitalis perpetuam, seu Censum ex parte creditoris irreducibilem excusari ab usura; vel titulum lucri cessantis, aut damni emergentis, vel titulum *usura moratoria* ex Decreto Judicis in poenam, quando debitor mutuum dicto tempore non restituit, aut ratione periculi se tenentis ex parte rei, in qua constituitur Censum. V. *Caf. 16.*

CASUS VIII. Aristides filium suum matrimonio jungens, promisit illi 40000. libras, cum vero non nisi 20000. are posset, scripto se obligavit, quod reliquam dimidiam partem illi sit daturus. An filius de his 20000. libris primum solvendis Censum exigere potest?

R. Non potest tuta conscientia Censum exigere, nisi post sententiam judicis, in poenam dilatæ solutionis. *Innoc. III. in c. Salubriter. 16. de Usuris.* Nec potest obiici, filium licite exigere Censum ad supportanda onera matrimonii. prout id juxta dicta ad *Caf. 6.* licet genero: non enim privata auctoritate hæc ratio potest extendi ad alios casus in lege non expressos.

pressos. Et sane nec Canon nec ulla decretalis potest adduci in favorem filii. *Pontas.*

CASUS IX. Geraldus tutor Alexii depositas habet 10000. libras ad pupillum suum pertinentes; cumque vi consuetudinis provincialis teneretur de pecunia pupillari quæstum facere sub poena solvendi ex propriis, nec securam occasionem reperiret, eam mutuam dare cogitat nummulario, aut alteri, qui esset solvendo, pro Censu legibus conformi; idque per sententiam desuper obtinendam, ut sic cum pupillo suo rationes conferat. Potest tuta conscientia sic agere?

R. Non potest absque usura talem quæstum facere: jus enim naturale, divinum & ecclesiasticum prohibet Censum in quocumque demum casu ex mero mutuo. Juxta præscripta Constitutionum 1. pecunia pupillaris non est elocandæ ad certum tempus in simplex mutuum, ex quo annuus recipiatur Censum, sed in emptionem hæreditatis, aut constitutionem pensionis ex alio fundo, id quod facile fieri potest. 2. Tutores in talem usum convertentes pecuniam pupillarem debent desuper Consilium inire cum consanguineis ac amicis pupilli, eorumque exquirere consensum; qua præcautione adhibita constituunt se extra culpam, si inausulto casu talis elocatio pecuniæ vergeret in detrimentum pupillorum. Observandum adhuc ex *S. Bewe tom. 2. Caf. 146.* sententiam condemnatoriam ad solveendum Censum ex collusionem creditoris & debitoris obtentam nequaquam præstare securitatem conscientie creditori recipienti adjudicatum Censum; quia certe usuræ palliatæ se reum faceret. *Pontas.*

CASUS X. Clemens mutuos dedit 300. florenos Jacobo, cautionem præstante Stephano. Cum vero Jacobus parum esset solvendo, Stephanus ab eo exigit Censum de summa, pro qua fidejussit, usque dum Clementi solutionem præstitisset.

R. Stephanus juxta *S. Bewe tom. 2. Caf. 57.* absque injuria non potest exigere Censum. Ratio est; quia non plus juris habet eum exigendi, quam Clemens ipse creditor: si enim paupertas debitoris sufficientem ad hoc creditori aut fidejussori suppeditaret titulum, sequeretur, eo magis a debitore posse exigi Censum, quo major ipsius paupertas; quod non minus charitati quam justitiæ adversatur. *Pontas.*

CASUS XI. David 1500. florenos Gratiano dedit mutuos. Cum vero ab eo solutionem obtinere non posset, eam petit judicialiter. Judex designavit biennium, intra quod præstanda solutio, ac insuper Gratianum condemnat ad Censum
pro

pro isto biennio. Gratianus solvit quidem Censum biennem, summam vero capitalem primum expungit post triennium, & hinc David pro tertio quoque anno Censum 175. florenorum recipit.

ꝑ. Hi 175. floreni sunt male acquisiti : cum enim David non obtinuerit novam sententiam condemnatoriam debitoris ad Censum pro tertio anno, absque usura eum recipere haud potuit juxta *S. Beuve tom. 1. Cas. 13.* Hoc tamen dictum sit de territorio jurisdictionis Parisiensis, aut aliarum Curiarum supremarum, in quibus Constitutio Aurelianensis in usu est, non autem de iis locis, in quibus ea recepta non est. *Pontas.*

CASUS XII. Maglorius civis Parisiensis, cum Bernardo mutuos dedisset 350 florenos ad annum, & quidem gratis, hic autem praestituto tempore solvere neglexisset, judicialiter eum convenit, ut saltem Censum solvat. Bernardus praevidens ad id se condemnandum fore, ultro Censum in posterum solvendum se spondet, & Maglorius consentit.

ꝑ. Absque culpa usuræ haud videtur exigi posse hic Censum, saltem nisi interveniat titulus damni emergentis aut lucri cessantis : nuda enim delatio ad judicem non parit legitimum titulum exigendi Censum ex Mutuo. Orietur exinde, ut observat *Bouchel Biblioth. Juris Gallici tom. 3. v. Usuræ.* occasio fraudulenter eludendi leges usurarias. Processus ergo deberet continuari, debitorque de contumacia aut prava voluntate convinci per sententiam definitivam, aut quod huic æquivalet, per interpositam post litem contestationem absque omni dolo malo transactionem. *Pontas.*

CASUS XIII. Leodebertus mercator Burdigalæ aut Tolosæ commorans Gilberto mille florenos ad semestre dedit mutuos, quo elapso instanter petit solutionem summæ, qua indigeret vel maxime ad proprium commercium. Gilbertus autem recusat solutionem sub prætextu gravissimi damni, quod incurreret. Interpellatus propterea in forma consueta petit dilationem solutionis ad duos aut tres annos, cum sponcione solvendi annum Censum. Annuit creditor : quaeritur autem, utrum absque usura possit acceptare hunc Censum, quin debitor fuerit judicialiter conventus, aut condemnatus.

ꝑ. Potest ; nam in districtu Parlamenti Burdigallensis Censum est solvendus a die, quo debitor a creditore pro solutione fuit interpellatus, quin præcesserit sententia condemnationis. *Pontas.*

CASUS XIV. Abundius vir dives Briando 1000. florenos dedit mutuos ad triennium, quo elapso Briandum ad solutionem debiti aut præstandum in posterum annum Censum judicialiter condemnandum curavit. Hic cum numerare hanc summam ocyus haud facile posset, distulit solutionem duobus annis, libentius soluturus pro hoc tempore Censum legibus conformem. Potestne Abundius tuta conscientia & absque usura recipere hunc Censum ?

ꝑ. In varias Doctores circa hæc quaestionem abeunt sententias. Aliqui tenent, tuta conscientia indiscriminatim posse recipi Censum a Judice absque collusionem adjudicatum : in quorum classem referendus *De Sainte Beuve tom. 2. Cas. 110. Et 145. item tom. 3. Cas. 18. Et 244.* Alii vero contendunt, Censum recipi haud posse nisi ratione damni emergentis aut lucri cessantis in sensu a D. Thoma explicato : hos inter est *Fr. de Genet. Theol. Mor. tom. 1. tract. 4. c. 8. q. 2. Et 6.* Utraque pars nititur verbis Constitutionis Aurelianensis : *Adjudicabuntur damna Et lucra requisita pro retardatione solutionis. numerando a die in Jus vocationis ;* quæ verba quælibet pars sumit in sensu opinioni suæ faventi. Si igitur Abundius, quod securissimum est, sequi velit, Censum adjudicatus non est acceptandus, nisi constet de lucro cessante aut damno emergente in sensu a Theologis explicato, aut nisi Briandus ex culpa solutionem retardaverit. Interea Abundius nequam usuræ aut injustitiæ est arguendus, si priorem sententiam secutus, conformiter ad memoratas duas modificationes recipiat Censum sibi judicialiter adjudicatum, eumque consideret tanquam multam seu pœnam a Judice dictam debitori ob suam contumaciam. *Pontas.*

CASUS XV. Ariteus Flavio gratis nullum prorsus Censum exigendo mille Imperiales dat mutuos, simul tamen consilium agit paulo post eum in jus vocandi, ac sententiam obtinendi, quæ illum ad Censum legibus conformem condemnaret. Potestne sic procedere ?

ꝑ. Mutuum est mera gratia, non autem negotiatio ; si non intuitu præstandi beneficium, sed avaritiæ satisfaciendi cupidine fiat, evidenter est usurarium. Et hinc ab usura excusari non potest Ariteus. *Certum est, ait Bonifacius VIII. reg. fin. de regul. Juri. in 6. quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Sic autem in hoc casu abuti lege in commodum suum, est manifeste agere contra spiritum legis. *Pontas.*

CASUS XVI. Potestne recipi Censum pro mutuo ratione periculi, quo se quis exponit mutuum dando ?

β. Si periculum detur ex ipsa re mutuo data, potest Censum recipi absque usura, cum mutuum dans se periculo oneret; si vero periculum detur respectu personæ, cui mutuum datur, non potest recipi Censum absque usura. *Fromageau.*

Vide *Dammum & Interesse. Mutuum. Restitutio. Usura.*

CENSUS CENSUUM.

1. In hoc titulo quæritur, utrum possit recipi Censum secundum pro censu legitimo nondum soluto, id est an quis Censum sibi debitum addere possit summæ principali, ut nova exurgat summa, majorque Censum recipiatur.

2. Censum Censuum semper habitus est pro usura odiosa, a legibus prohibita, & tanquam medium opprimendi debitores aptissimum. Interim tamen Censum Censuum locum habere potest 1. respectu Tutoris, qui de censibus, & redditibus e bonis sui pupilli receptis collegit quamdam pecuniæ summam, nam in hoc casu Tutor, si ista summa, ut ex officio debet, non faciat quæstum, ipse tenetur solvere Censum. 2. Respectu debitoris principalis, cujus fidejussor creditori solvit pro eo Censum: iste Censum se habet per modum capitalis; ideo dictus debitor principalis tenetur fidejussori Censum solvere pro tali capitali. Idem dicendum de cohærede, qui pariter tenetur solvere Censum Creditori hæreditatis, & hic Censum a cohærede solutus se pari modo per modum summæ principalis habet.

CASUS I. Valdradus Balduino 1000. libras mutuo dedit, in cujus testimonium schedam propria Balduini manu scriptam habet: elapsis quatuor annis cum Balduinus pro dictis 1000. libris Censum 200. librarum deberet, Valdradum rogat, ut istas 200. libras summæ principali addat, simulque novum chirographum ipsi, uti prius, offert. Valdradus ipse petito annuit, sicque (intra decem annos) 600. libras pro Censu recipit, cum prius vi primi chirographi tantum 500. libras pro Censu a Balduino exigere potuisset.

β. Ista conventio certa illicita ac in Jure prohibita est: *L. ut nullo modo 28. Cod. de usuris Lib. 4. tit. 32.* Proscripta insuper est per Constitutionem Philippi Pulcri, per Edictum Ludovici XIV., a SS. Patribus ac melioris notæ jureconsultis, imo ab ipso *Dumoulin* usurarum licet fautore. Verbo, hæc usuræ species, quæ *Anatocismus* vocatur, vergit in totalem ruinam eorum, qui ad præstandos Censum ex annuis redditibus aut ex mutuo sunt adstricti; eos enim præsta-

re

re negligunt ex confidentia, fore, ut creditores eos in fortem redigant, ac de novo contrahant, sicque contractus contractibus cumulant. Id, quod de censibus ex annuis redditibus dictum est, potiori jure locum habet circa Censum ex mutuo per sententiam Judicis constitutos, cum hi Censum non sint redditus naturales. *L. Si navis. 62. FF. de rei vindic. Lib. 6. tit. 1.* Notandum tamen, quod creditor, si solutionem plurium Censuum annui redditus sibi comparare non possit, quin debitorem ad incitas redigat, curando scilicet, ut bona ejus judicialiter venalia exponantur, aut alio quocumque demum modo, debitor vero novum offerat contractum, vi cujus Censum nondum soluti ad Summam principalem computentur, tuta conscientia ejusmodi conditionem acceptare possit. *De Sainte Beuve Tom. 3. Cas. 244.* Ast in foro externo condemnaretur usuræ reus, si talis conventio proponeretur in judicio. Et hinc ejusmodi praxis neququam est consulenda, utpote pravissimi exempli, & pessimarum sequelarum. *Pontas.*

NOTA. Si debitor absque sua culpa in eas angustias detrusus est, & creditor abundat. Illa nova accumulatio miseræ, quamvis non opponeretur justitiæ, opponitur tamen charitati, quæ non solum extremæ, sed etiam gravi, quin etiam ordinariæ ex abundantia succurrere tenetur. Vide *Amort Th. Mor. Tr. 3. Sect. 1. §. 6.*

CASUS II. Cum Mamertus Censum pro 1000. libris a Luciano mutuo acceptis jam per sex annos non solvisset, & Nicolaus invasionem bonorum Mamerti sui Cognati timeret, pro Mamerto solvit Censum debitos; anno elapso vero 300. libras repetit, quas pro Censu solvit; cum autem illas a Mamerto obtinere non posset, procuravit, ut condemnaretur ad Censum sibi solvendum usque ad solutionem integræ sibi debitæ summæ.

β. Tuta conscientia Nicolaus exigere potest Censum pro Censibus Luciano pro Mamerto solutis; Prohibitio enim Censum Censuum solum respicit creditorem, & non tertium, qui ad avertendum gravius malum a debitore, in commodum ipsius ac favorem solvit Censum creditori debitos: numerata enim hæc pecunia constituit ex parte hujus tertii summam principalem quasi mutuo datam huic debitori. Hinc licet ab eo judicialiter petere Censum, maxime si concurrat titulus lucri cessantis aut damni emergentis. *Pontas.*

CASUS III. Maurus omnia bona sua hypothecavit simul Claudio pro 3000. florenis, & Samsoni pro 8000. florenis. Elapso quinquennio, cum res ipsius in pejus irent, duo creditores judicialiter impetrarunt condemnationem sui debi-

Q 2

toris

toris ad solutionem Censuum hucusque non præstiti. Samson vero ad affecurandam magis suam hypothecam in jura Claudii subrogari se curavit; hinc dicto Claudio solvit non solum 3000. florenos, quos Mauro dederat mutuos, sed etiam Censum quinquennalem Summæ capitali convenientem, nempe 750. florenos. Samson jam primarius creditor hypothecarius manum iniicit in domum Mauri, hac ratione obtenturus solutionem, nempe 8000. florenos mutuo datos cum competente Censu quinquennali, ac 3750. florenos Claudio solutos ac debitum exinde Censum. Quæritur jam, num Samson juste possit exigere Censum 3750. florenorum summam, non obstante quod capitalis Summa sit tantum 3000. florenorum.

R. Potest exigere 750. florenos tanquam Censum provenientem ex 3000. florenis, sicut & Censum ex 8000. florenis Mauro mutuo datis. Verum non potest recipere ulteriorem Censum ex 750. florenis Claudio pro Censu a Mauro debito solutis; quia Samson non in bonum ac commodum Mauri, sed in propriam suam utilitatem hanc solutionem præstitit, ut scilicet magis affecuraret hypothecam suam, quam in bonis Mauri habebat. *L. Creditor. 12. §. 6. FF. Lib. 20. tit. 4. Pontas.*

CASUS IV. Germanus, Tutor Clementis, accepit durante tempore suæ tutelæ 600. libras pro Censu summæ suo pupillo debitæ, similem etiam summam ipsus Germanus suo pupillo debet pro Censu summæ 2000. librarum: Cum igitur Clemens majorennis factus esset, Tutorem suum ad solvendum Censum pro utraque summa condemnari curavit.

R. Tuta conscientia a suo Tutore potuit exigere Censum pro utraque summa tales enim Censuum in manibus Tutoris depositi respiciuntur ut summa principalis, qua Tutor juxta legem in conscientia tenetur intra determinatum a iudice tempus quæstum facere sub pœna solvendi Censuum ex proprio. *Leg. Qui sine 38. ff. de neg. gest. lib. 3. tit. 5. Pontas.*

NOTA. Hæc lex, quæ in Gallia & Germania tutores cogit ad faciendum quæstum, non fundatur in dominio alto Principum; alioquin ex eodem universali titulo universim posset licita fieri usura moderata ex mutuo; sed fundatur in periculo fraudis ex parte tutorum, qui otiosa pecunia suorum pupillorum tanquam propria facile abuterentur in commodum proprium. Fundatur etiam in favore legum erga pupillos in Dicasteriis, quo fit, ut securius commodari possit Summa Capitalis pupilli quam alterius. Idem dic de Curatoribus Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum.

CES-

CESSIO BONORUM.

1. *Cessio bonorum* est beneficium a lege debitori concessum, quo a carcere, si ibi sit detentus, & ab omni violentia corporali immunis redditur. Debitor solus personaliter admittitur ad Cessionem Bonorum faciendam, ubi ab ipso juramentum præstandum est, quod nihil ex bonis suis subtraxerit aut occultaverit. Excluditur ab hoc beneficio debitor, dum creditum est privilegiatum, aut dum eo indignum se reddidit. Ad Cessionem bonorum nemo admittitur, ubi agitur de debito civili ob crimen aliquod adjudicato; prout ne villicus admittitur circa præstationes, debitas suo Domino ex pacto conductionis suæ. Præter hæc dantur adhuc casus quamplurimi, in quibus vi variarum consuetudinum in variis provinciis locum non habet Cessio bonorum.

2. Cessor non liberatur a debito, nisi pro rata bonorum creditori relictorum, partisque residuæ adhuc manet debitor. In generali bonorum suorum Cessione etiam ea censetur comprehendisse bona, quæ ex acquisita successione obtenta sunt, licet ea nondum possideat. Denique fidejussores cessoris per factam Cessionem non liberantur a cavendo debito.

CASUS I. Odoardus minutarum mercium mercator vir prudens ac probus reperit, injuria temporum negotiationem suam adeo defecisse, ut merito timendum sit, ne, si moreretur, aut res suæ non in melius vergant, creditores ægre dimidium ejus sint obtenturi, quod ipsis debetur. Quærit proin, an teneatur coram Deo facere generalem Cessionem bonorum suorum.

R. Non tenetur; quia ex sua capacitate prudentique agendi ratione intra unum aut duos annos meliorem rebus suis fortunam sperare poterit; & hinc, cum nullius sibi culpæ conscius sit, non tenetur se exponere ignominia Cessionis aut periculo extremæ indigentia, in quod fors ab inhumano creditore coniceretur: præsupposito tamen, quod creditores Odoardi non sint redacti in statum adhuc deteriorem ac ipse, & quod ad mercaturam non pervenerit mediis illicitis. Tenetur autem in continuatione negotiationis pro posse parcere sumptibus, omnemque adhibere industriam pro restitutione sui commercii. *Pontas.*

CASUS II. Flavius mercator aromatarius negotiationem suam corruisse videns bona sua cedere vult creditoribus, vix dimidium eorum obtenturis, quæ ipsis deberentur. Metuens autem, ne ipse una cum familia sua per hanc Cessionem in-

Q 3

men-

mendicitatem redigeretur, occulte retinet aliquam summam numeratæ pecuniæ, quasdam merces, & aliquot syngrapha pro sustentatione sua.

ꝑ. Tuta conscientia retinere potest, quod præcise necessarium est ad præcavendam mendicitatem; licet hæc ipsi gratia non fuerit concessa in foro externo, ubi semper stat præsumptio contra debitorem. Si autem postea ad pinguiorem fortunam pervenerit, creditoribus suis tenetur satisfacere. *Pontas.*

CASUS III. Philopomenes sententia definitiva in Contradictorio condemnatus ad summam 500. florenorum pro compensatione damni Benedicto solvendam, se obtulit Judici ad Cessionem omnium bonorum suorum, ut incarcerationem evitaret. Verum Benedictus supplicatione Judici porrecta pro viribus se opponit.

ꝑ. Benedictus merito recusat oblatam a Philopomene Cessionem. Debitorum, quibus vi juris Gallici non conceditur Cessio bonorum, sunt 1. Condemnati Judici contradictorio & definitivo ad multam aut compensationem damni. 2. Domini ratione mercedis aut salarii famulitio suo debiti. 3. Debitorum ex contractibus in nundinis Lugdunensibus aut Campaniæ initis. 4. Rei stellionatus. 5. Debitorum pecuniæ regni. 6. Reliquatores ex administratione tutelæ, aut proventuum dotis uxoriæ. 7. Emptores hæreditatum, & non solventes venditori pretium. 8. Commissarii. 9. Mercatores ementes acervatim & vendentes minutim. 10. Extranei. 11. Debitis onerati ex administratione hospitalium. Addunt quidam jurisperiti eos, qui debent alimentatorem, medicamenta, expensas funerales, aut qui debent operariis egentibus. Verum in hisce casibus Judices non admodum rigore agunt, maxime si fraudulenda agendi ratio non sit probata. *Pontas.*

CASUS IV. Balduinus mercator gemmarius videns rebus suis parum prospere succedentibus omnia bona sua vix sufficere ad solvenda ea, quæ aliis mercatoribus debet, rogat eos, ut sibi remittant partem eorum, quæ ipsis deberet; & ut facilius id obtineat, occultat partem tertiam bonorum suorum, ac tantum duas tertias mercatoribus indicat: rogat dein sibi remitti partem quartam debiti, quod facile obtinuit a creditoribus, timentibus majus damnum.

ꝑ. Hæc condonatio non reddit Balduinum coram Deo securum in conscientia; teneturque partem quartam condonatam restituere condonantibus. *Pontas.*

CA-

CASUS V. Lampridius mercator panni ob finistram negotiationis suæ fortunam cogitat omnia bona sua creditoribus cedere, quibus non nisi tertia pars debiti speranda est. Antequam propositum suum declaraverat, uni creditorum vult restituere quatuor frusta panni adhuc intacta, quæ ab eo credito emerat.

ꝑ. Absque injustitia potest sic agere, & hunc creditorem præferre reliquis. Circa hanc tamen præferentiam unius creditoris, postposito altero, consulendi sunt viri docti, & præprimis inspicienda consuetudo locorum, quæ plurimum variat. *Pontas.*

CASUS VI. Elifæus mercator gemmarius, cum suis creditoribus nec privilegium nec hypothecam habentibus duplo plus deberet, quam valeret ejus bona, eo demum adductus est ab iis, ut faceret Cessionem omnium bonorum suorum. Creditores septem aut octo numero consenserunt in divisionem bonorum pro rata cujuslibet debiti; sed Alphonus, cui Elifæus plus debebat ac aliis creditoribus, cum in inventario ejusdem reperisset varia monilia, quæ Elifæo in spem solutionis obtinendæ vendiderat, ea sibi soli vindicare vult, quin ullam in iis partem relinqueret reliquis creditoribus.

ꝑ. Præsentio Alphoni justa ac legi conformis est. Observandum tamen, quod juxta quorundam locorum consuetudinem talis creditor non præferretur cæteris creditoribus. *Pontas.*

CASUS VII. Hyparchus nummularius pluribus debitoribus suis ad incitas redactis, & ipse suarum fortunarum jaeturam passus de Cessione bonorum suorum cogitat. Germanus creditorum unus, qui ipsi 250. florenos recepto simplici chyrographo mutuos dederat, ac bene noverat, omnia Hyparchi bona non sufficere ad dimidium debitorum ejus expungendum, urget ipsum, ut hanc sibi summam ante Cessionem restituat. Hyparchus aliunde obstrictus Germano eam restituit, & quadriduo post facit Cessionem bonorum suorum.

ꝑ. Germanus, cum sit tantum creditor chyrographarius, non potuit recipere hanc summam in præjudicium creditorum privilegiatorum aut hypothecariorum. Et hinc, cum eam mala fide receperit, tenetur juxta *S. Bewe Tom. 2. Cas. 136.* ad restitutionem. *Pontas.*

CASUS VIII. Robertus rebus suis omnino collapsis facit Cessionem bonorum ad evitandam incarcerationem, quam ipsi creditores minitabantur. Cum autem bona ipsius non sufficerent ad expungenda debita, creditores insistant, ut sibi insu-

Q 4

per

per adjudicentur ea bona, quæ Robertus pridie ejus diei, qua facta fuit Cessio, acquisivit, & alia quoque, quæ post factam Cessionem acquisivit.

β. Creditores juste prætendunt etiam hæc bona ad Robertum devoluta. Relinquenda tamen sunt ipsi ex bonis noviter acquisitis necessaria ad sustentationem. *Pontas.*

CASUS IX. Aristus celebris mercator moritur, ære alieno plurimum gravatus. Hærede ipsius transactionem postulante cum creditoribus, viginti eorum remittunt tertiam partem debiti, eoquod bona relicta ad expunctionem totius non sufficiant; quinque autem alii creditores sese opponunt, solutionemque petunt integram.

β. Consensus viginti creditorum prævalet contra quinque creditores dissentientes. Gilbertus tamen per hoc non eximitur ab obligatione solvendi totum, si possit. Hac in re nec latum unguem recedendum est ab eo, quod jura præscribunt. Notandum vero 1. Si quinque sese opponentium creditum, notabiliter excedit creditum reliquorum viginti consentientium, prioribus cedere debent posteriores. 2. Si isti quinque creditores sunt privilegiati aut hypothecarii, & reliqui viginti solum chirographarii, hi secundum consuetudines Galliæ non habent jus debitori remissionem indulgendi invitis prioribus. *Pontas.*

CASUS X. Thomas, Alexius, & duo alii ineunt contractum societatis, & mutuam ab aliquo accipiunt summam 5000. florenorum, ad quam solvendam quilibet se obligat in solidum. Thomas rei peritissimus ex iis gerit negotia societatis in civitate quadam remota, ibique vix non per annum se detinet interea dum unus reliquorum viveret licentius, duoque alii nec rei gerendæ peritiam nec industriam possiderent, penitus collapsa est negotiatio eorum. Creditor re percepta convenit associatos, & nominatim Alexium reliquis ditiozem. Thomas redux, licet innocens & partem non habens in culpa sociorum, offert Alexio Cessionem bonorum suorum, quæ tamen vix æquabant partem dimidiam portionis a se debitæ. Alexius acceptata Cessione occupat bona Thomæ, eumque liberat ab obligatione residui, quod deberet Societati, sequæ loco illius obligat creditoribus. Thomas autem faciendo hanc Cessionem reticuit duo florenorum millia, quæ sibi debebantur jam ante initam Societatem, sed a talibus debitoribus, quos existimabat non esse solvendo. Morti proximus dicit uxori suæ, se ratione Societatis, & factæ Cessionis nullum prorsus conscientiæ stimulum sentire. Uxor vero,

vero, cujus bona pariter cedi Alexio debuerant, eoquod una cum marito in solidum se obligasset, reperit media integram debiti, de quo desperatum jam erat, solutionem successively per partes obtinendi prout actu quasdam jam recepit, quas ad sustentationem suam applicat. Confessarius autem ipsi movet scrupulum, etiam hæc bona Alexio cedenda ratus.

β. Si Thomas fecit Cessionem bonorum certorum ac determinantium, uxor ejus absque scrupulo summam 2000. florenorum retinere potest. Si autem fecit Cessionem omnium bonorum suorum in genere, æquitas naturalis quidem postulat, ut pro necessaria sustentatione hanc summam retineat; sed tenetur in testamento Alexio relinquere residua, aut etiam ante mortem hanc illi summam cedere, si ad pinguiorem fortunam emerisset, ita, ut absque hac summa a mendicitate liberare se posset. *S. Beuve Tom. 2. Cas. 135. Pontas.*

CASUS XI. Florentinus nummularius fortunis suis per casum mere fortuitum dejectus, creditoribus suis fideliter declarat omnia bona sua, quæ & ipsis cedit in forma judiciali consueta. Nihilominus bonis divenditis quilibet creditorum perdit 500. florenos. Florentinus interea post decennium amplas denuo sibi comparavit divitias.

β. Tenetur in foro interno creditoribus suis refarcire damnum in Cessione illatum. *Pontas.*

CASUS XII. Ernestus Sutor officinam habet admodum frequentatam ab emptoribus, cumque ingravescente jam ætate esset, eam inito contractu cum omnibus utensilibus totaque supellestite cedit Eustachio hac conditione, ut ab eo hebdomadatim pro quatuor florenis recipiat certum calceorum numerum, libere a se distrahendorum certis quibusdam emptoribus in contractu Cessionis nominatis, cæteris emptoribus relictis Eustachio. Eustachius fideliter exequitur conditionem; sed post aliquot menses advertit, Ernestum occulte sibi retinuisse adhuc alios emptores, imo non obstante conventionem novos conquirere. Qua de re juste se conqueri posse arbitratur.

β. Si Ernestus in Cessione non expresse renunciavit exercitio artis suæ & omnibus emptoribus, absque injustitia potest adhuc conficere calceos, aut ab aliis conficiendos curare pro notis suis emptoribus, & pro noviter conquisitis; maxime si non obstante hoc Eustachio tantum laboris suppetat quantum conficere potest. *Pontas.*